



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio annuli Sponsalitii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

discedant principes tenebrarum, & contremiscant & fugiant pavidum, cum omnibus ministris suis, ab habitationibus illis, nec presumant amplius inquietare aut molestare fervientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Postea aspergantur aquâ benedictâ.*

Benedictio annuli Sponsalitii.

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Domine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus ✠, ut, qui (quæ) eum gestaverit, fidelitatem integram suo Sponso (suæ Sponsæ) tenens, in pace & voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde Sacerdos aspergat annulum aquâ benedictâ, in modum Crucis.

Quod si vero annuli utriusque Sponsi simul benedicendi sunt, Oratio seu Collecta dicitur numero plurali, hoc modo :

Benedic ✠, Domine, annulos istos, quos nos in tuo nomine benedicimus ✠, ut, eos gestantes, fidelitatem integram sibi invicem teneant, & in pace & voluntate tua permaneant, atque in mutua charitate semper vivant. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Hic advertant Parochi, ne annulos, semel benedictos, denuo benedicant.

Benedictio vini, cerevisiæ, mulsi, aut potus cujusque, in solemnitatibus Nuptiarum.

Sacerdos, circumdatus stola, vino ante se posito, & vase, in quo continetur, aperto, dicat Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Ioannem. *Resp.* Gloria tibi, Domine.

Pag. 188. **I**N principio erat verbum, &c. *In fine, Resp.* Deo gratias. *Postea Sacerdos dicit:*
Oremus.

Per istos sermones sancti Evangelii, & per merita sancti Ioannis Apostoli & Evangelistæ, quæsumus omnipotens Deus, be-
ne-